



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertionvm Theologicarvm Sfortiae Pallavicini Sacrae Theologiae Professoris in Collegio Romano Societatis Iesv. Libri Qvinque

Pallavicino, Sforza

Romæ, 1649

Cap. 6. Explicatur quid, & quotuplex sit necessitas moralis; quid probabilitas, & earum radix: & de disiunctiuâ necessitate conditionali actuum liberorum, tum quoad bonum, tum quoad malum, & de ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38987

CAPVT VI.

*Explicatur quid, & quotuplex sit
necessitas moralis; quid proba-
bilitas, & earum radix: & de
disiunctiuà necessitate condi-
tionali actuum liberorum, tum
quòad bonum, tum quòad ma-
lum, & de triplici causà natu-
rali, artificiosà, & fortuità.*

108 **D**ifficultas est in hac
re quoniam multa
sunt moraliter necessaria deter-
minatè; & tamen vna pars po-
nitur ante aliam, vt v.g. est mo-
raliter impossibile, quòd aliquis
fortuitò semper iaciat talos fe-
rentes idem punctum, & tamen
in quolibet iactu id est morali-
ter possibile: quo posito sic li-

V cèt

cet argumentari: Est moraliter possibile quòd aliquis decies, ex.g. iaciat fortuitò idem punctum; Sed iste euentus antecedens nihil influit in euentum futurum, ac proindè uon reddit illum difficiliorem; ergò in sensu composito cum hoc euentu, erit moraliter possibilis alius similis denarius iactuum, & sic deinceps. Præterea est possibile moraliter, quòd tali millies iacti, ex.g. ferant hanc numero seriem pūctorum, quam ferunt de facto. Sed hæc numerò series, ità omninò ordinata nihilò facilior est, quàm series punctorum semper vniformium; ergò etiam illa est moraliter possibilis. Minor probatur, nam sicùt vnum punctum nō est facilius, quàm aliud; ità vnica series indiui-

diuidua punctorum non est facilior, quàm alia quæcumque determinatè accepta. Sed perinde est vnica series ex innumeris physicè possibilibus illa, quæ de facto cecidit, quàm illa, quæ contineret puncta semper vniformia; ergò illa non est facilior, quam ista.

109 Et quidem si hoc argumentum interiùs penetretur, vtique probat, fuisse moraliter possibile, vt ex fortuito colorũ iactu exirent picturæ Raphaëlis, & ex fortuito literarum iactu Ilias Homeri: quod tamen falsũ esse cunctis hominum mentibus insitum est à naturà. Vt ergò difficultatem soluamus, primò asserimus causas liberas, ita esse à naturà constitutas, vt siuè detur, siuè non detur prædeter-

minatio physica, non sit possibile quòd Deus videat eas semper in quibuscumque circumstantijs possibilibus, quantumuis inæqualibus, eodem modo operaturas: Ita enim debuerunt à naturà constitui, sicut expedit ad dominium Dei, & ad bonum Vniuersi. At ad dominium Dei expedit, vt quælibet creatura libera in aliquibus casibus possibilibus esset malè operatura, ad hoc, vt agnoscat tanquã Dei beneficium hoc, quod est non fuisse positam in illis circumstantijs, in quibus & foelicitatẽ perdidisset, & miseriam incurrisset. Item bonum est ad dominium Dei, quòd quælibet creatura in aliquibus circumstantijs esset benè operatura, etiam seruata libertate ad peccan-

candum, ad hoc vt Deus non
ablata naturali libertate, possit
illam creaturam ad virtutem,
atque adeò ad foelicitatem ex-
tollere; ergò bonum est ad do-
minium Dei, esse hanc disjunc-
tiuam necessitatem conditio-
nalem, vt quaelibet creatura li-
bera si poneretur in aliquibus
circumstantijs operaretur benè,
si in alijs malè.

110 Item hoc ipsum spectat
ad bonum Vniuersi; nam finis
totius vniuersi est foelicitas re-
rum intellectualium; quæ foeli-
citas sita est in scientià, atque
adeò in cognitione causarum.
Causæ autem dignoscuntur per
effectus, & quoniam tria sunt
causarum genera, necessaria,
artificiosa, fortuita; debuerunt
dari effectus indices singularū

eiusmodi causarum. Si ergò esset possibilis causa libera, quæ in omnibus circumstantijs operaretur eodem modo, siuè esset libera artificiosa, siuè libera fortuita, non esset dignoscibilis à necessaria, adeòque mutaret argumentum ductum ab inductione, quod est præcipuum fundamentum humanæ scientiæ; tota enim inductio in eo versatur, vt per illam, & dignoscantur causæ necessariae à liberis, & hoc semel cognito ex effectibus præteritis conijciantur certò futuri in causis primi generis.

III Et hanc rationem indicauit S. Thomas 2.2.q.95.ar.5. in corp. vbi ait, *alià ratione disponuntur à diuinà prouidentia motus, & situs coelestium corporum,*

¶

& alià ratione euentus cōtingentium futurorum, quia illa disponuntur secundum rationem necessitatis, & semper & eodem modo proueniunt; hæc autem secundum rationem contingentia, ut variabiliter contingant. Et hinc S. Th. infert non posse contingentia præuideri in constellationibus, tanquam in signis à Deo constitutis.

¶ 112 Hæc secunda ratio probat insuper naturam exigere, ut causæ liberæ non solum præuideantur à Deo, conditionaliter alio, & alio modo operaturæ in alijs, & alijs circumstantijs, sed ut re ipsa in illà varietate circumstantiarum ponantur, atque adeò aliter, & aliter operentur, ut per hoc discerni possint à necessarijs. Et quoniam,

V 4 vt

vt indicauimus, causæ liberæ aliquem effectum operantur artificiosè, hoc est illum intendendo, & cognoscendo se ritè operari ad illum ponendum; alium verò effectum operantur fortuitò, hoc est, vel illum non intendendo, vt fossor, qui inuenit thesaurum; vel non cognoscendo peculiarem aptitudinem mediij, quod ponunt in ordine ad talem effectum, vt lusor, qui iacit punctum sibi opportunū; ideò debuit dari exterius discerniculum inter illas causas.

113 Causæ enim, quæ operantur ex arte, debuerunt operari, vel cū aliquà difformi uniformitate, in quà consistit pulchritudo, & quæ separat illas causas, per secundum prædicatum à fortuitis, per primum à
ne-

necessarijs: vel cum applicatio-
ne plurimarum rerum aptè co-
hærentium ad eundem finem,
qui non soleat frequenter con-
tingere; & in hoc pariter, se-
cunda pars separat causas istas
à necessarijs, prima à fortuitis.
Causæ verò fortuitæ debuerunt
habere effectus varios carentes
supradictis prædicatis; ideò per-
tinet ad prouidentiam Dei tan-
quam ad authorem naturæ nō
permittere, vt causæ fortuitæ o-
perentur cum tantà difformi
vniformitate, vel cum tantà co-
herentià plurium effectuum ad
eundem finem, vt non possit
intellectus humanus discernere
causas fortuitas ab artificiali-
bus: Quas discernere necessariū
fuit, præsertim ad scientias pra-
cticas; quandò quidem causæ

liberæ operantes ex arte, operantur plerumque eodem modo in similibus circumstantijs, & ideò ex præteritis possunt cõijci probabiliter futura, in quo fundatur vniuersa politica, rhetorica, & iuris prudentia: secùs verò causæ fortuitæ.

114 Cum ergò Deus videat innumeras cogitationes possibili-
biles, per quas ille, qui sæpe iecit
talos ferentes idem punctum, sit
impressurus talis in nouo iactu
impetum effectiuum alterius
puncti, debuit Deus, vt author
naturæ dare lusori vnam ex hu-
iusmodi cogitationibus. Quocir-
cà hæc necessitas moralis redu-
citur tandem ad necessitatem
physicam: sicut est physicè ne-
cessarium, quòd non omnes in
ciuitate inclinentur efficaciter
ad

De Diu. Gratià Cap. VI. 466
ad eandem artem. Hæc ta-
men dicitur necessitas *moralis*,
& non *physica*; quia non est ne-
cessitas *physica* respectu vnius
indiuuidui determinati, sed po-
test Deus sine miraculo non fa-
cere id, quod facit, hîc, & nunc,
& in hac specie atomà, dum-
modo faciat aliud æquale in
genere, in ordine ad illud bonū
vniuersi.

¶ Præter hoc genus ne-
cessitatis *moralis* datur alia ne-
cessitas *moralis* orta, vel ex ma-
ximà inclinatione necessarià
ad vnum obiectum delectabile,
vel ex maximà auersatione ne-
cessarià ab aliquo obiecto mo-
lesto. Hæc enim inclinatio, &
repugnantia potest esse tanta,
vt nulla prudens formido oriri
possit in ordine ad casus hu-

manos, nè aliquis sit contra illā
operaturus. Et hæc moralis ne-
cessitas semper reducitur ad a-
liquem casum determinatum,
quia si potui vincere A, & eo
victo nihil plūs difficultatis ha-
beo ad vincendum B, quàm
habuerim ad vincendum A, po-
tero vincere etiam B, & sic de-
inceps. Hæc ergo impossibili-
tas moralis nascitur ex eo quòd
vincendo A, consumpserim
tantàs vires, vt longè molestius
sit vincere B, quàm fuerit vin-
cere A; ad quā molestiam vin-
cendam non sufficit habitus cō-
tractus ex actibus præteritis;
quoniam habitus dat facilitatē
ad actus similes, non ad dissimi-
miles, hoc est ad longè mo-
lestiores; & propterea qui
cōstans fuit in equuleo per ali-
quod

quod tempus, non habet in posterum maiorem facilitatem ex habitu ad perseverandum, quoniam perseverantia est molestior, quam præterita permissio. Hæc autem est ratio cur in naturâ integrâ nulla fuisset necessitas moralis committendi aliquod peccatum: quia scilicet cū pars inferior esset omninò subordinata superiori, nullam molestiam, aut defatigationem illa observantia præceptorum attulisset.

¶ 116 Tertia datur necessitas moralis, quæ vocari potest *necessitas diminuta*; & consistit in summâ probabilitate. Ideò necesse est explicare, quid sit *probabile*. Et quidem ab Aristotele definitur probabile *id, quod plerumque contingit*, sed hæc proprie-

prie-

prietas ipsius *probabilis* habet aliquam radicem superiorem. Hoc est, vt *probabile* sit id, ad quod potētia libera eius determinatiua est magis inclinata, quàm ad oppositum. Ex hac enim maiori inclinatione prouenit necessitas, vel physica, vel moralis, vt id plerumque contingat. Si enim id plerumque contingeret fortuitò, non daret sufficiens fundamentum in actu primo prudentis prædictionis.

¶ 17 Hæc necessitas vel physica, vel moralis, vt plerumque contingat id, quod dicimus *probabile*, demonstratur. Censere- tur enim miraculum si longo tempore in aliquà ciuitate iu- uenes, senes, & cœteræ hominū classes operarentur plerumque
con-

contrà id, ad quod omnibus pē-
fatis habent maiorem inclina-
tionem. Et ideò regulæ Philo-
sophorum moralium, & Iuris-
prudentium à communiter cō-
tingentibus numquam fallunt,
& quamuis videatur dari alius
fons probabilitatis ortus, non
ex maiori inclinatione poten-
tiæ liberæ, sed ex maioritate
numeri: quoties enim datur ne-
cessitas disiunctiua, vt ponatur
vnum indiuiduum ex aliquà
collectione; & illa collectio ha-
bet duas classes numero inæ-
quales, est moraliter necessariū,
vt plerumque verificetur indi-
uiduum contentum in classe
numerofiore. Quamuis inquam
ità sit; tamen hæc ipsa probabi-
litas oritur ex maiori inclinatio-
ne alicuius potentiæ liberæ ad
ex.

excludendum aliquod certum ex illis, quàm ad illud ponendum. Si enim debet ponere vnum solum ex multis, & circa singula habet inclinationem æqualem; ergò habet maiorem inclinationem ad excludendū A, quàm ad ponendum A, omnes enim aliæ inclinationes disiunctiuae pro alijs coniunguntur ad exclusionem ipsius A.

118 Et quamuis aliqua sint probabilia nobis, quæ habent necessitatem ex parte obiecti, veluti aliquæ veritates æternæ obscuræ; semper tamen ea probabilitas fundatur in aliquà inclinatione potentiæ liberæ, hoc est Dei, qui, cū indiderit nobis hanc persuasionem, quòd hæc apparentia, qualem de illis experimur hic, & nunc, plerumque

con-

coniungatur cum existentia
obiecti, fuit liber in sensu com-
posito cum veritate huius prin-
cipij vniuersalis ad faciendum
hic, & nunc id, quod plerumq.
non contingit, hoc est ad dan-
dam nobis talem apparētiam,
quamuis obiectum sit falsum,
sed fuit magis inclinatus ad op-
positum; quoniam, cum debeat
facere hoc rariùs, quàm opposi-
tum, ità vt ex. g. accideret bis,
& oppositum decies, vtique
habebat in ordine ad hunc ca-
sum duos gradus inclinationis
pro vnà parte, & decem pro al-
tera.

119 Coeterùm semper pro-
babilitas, vt dixi, fundari debet
in aliquà necessitate, quòd ple-
rùmque in similibus casibus po-
tentià libera determinatiua rei

con-

contingentis ponat vnā partem, quā alteram; aliòquin posset plerumque contingere id, quod est minùs probabile, atque adeò effectus deciperent intellectus quantumuis benè dispositos circa principia vniuersalia naturæ; quod est impossibile.

120 Ratio igitur necessitatis moralis potest esse physica, hoc est naturalis. Videtur enim spectare ad authorem naturæ, ita distribuere cogitationes, vt ex euentibus liberis possint homines habere aliquam probabilitatem de futuro, aut de alijs obiectis obscuris, vt dictum est, Non tamen semper hæc necessitas referri potest in prouidentiam authoris naturæ; nam author naturæ non potest intendere

pec-

peccatum, atque ita non potest
in distributione cogitationum,
curare, vt peccatum aliquandò
verificetur, sed ad summum ex
motiuo non impediendi bo-
num scientiæ, infringi poterit
efficacitas motiuorum, quæ in-
clinarent Deum ad impediend-
um studiosè peccatum. Et ta-
men est moraliter necessarium,
vt homines sine speciali Dei
auxilio identidem peccent. Hęc
ergo necessitas moralis reuo-
canda est tùm ad prædictum,
caput maximæ inclinationis,
vel molestiæ, quæ identidem
hominibus occurrunt, & consti-
tuunt necessitatem moralem
simpliciter; tùm ad quamdam
necessitatem moralem diminu-
tam, quàm supra indicauimus.
quę sita est in illà maiori inclina-
tio.

tio.

tione proueniente ex numero, quam inclinationem habet author naturæ ad eligendam materialiter vnã seriem cogitationum, cum quã committuntur aliquãdo peccata, potiùs, quàm ad eligendam vnã seriem, in quã numquam committantur.

121 Diximus hoc esse genus necessitatis moralis diminutæ est enim talis ea necessitas ex suo genere; vt aliquandò re ipsa sit fallax. Vocatur tamen moralis necessitas; quia cum nostræ mentes sint à naturà determinatæ, vt cõteris paribus credant euenturum aliquod indiuiduum contentum potiùs in collectione numerosiore, quàm in breuiore (quoniam hoc modo sæpius collimant, adeòque ha-

habent plùs veritatis, quàm fal-
sitatis, hinc est, quòd quando
excessus vnus collectionis su-
prà aliam est maximus; tunc
illa collectio minor habeatur
pro nullà in ordine ad ferendū
iudicium humanum; & ideò
assignatà quacumque collectio-
ne præcisà, & indiuiduà puncto-
rum in mille iactibus centum-
talorum, illa collectio in ordine
ad spem, & metum humanum
perinde habetur, ac si esset chi-
mæra; quia quod tres tali in tri-
ginta iactibus semper produ-
cant tres vnitates, est vnum in-
diuiduū ex tot indiuiduis pos-
sibilibus, quæ longè excedunt
numerū minutarum arenarū,
quæ à firmamento ad centrum
complerent totum vniuersum:
Dixi hanc esse necessitatē mo-

ralem diminutam, quoniam in aliquo indiuiduo cōtingit eam violari, scilicet in eà indiuiduà collectione, quæ de facto cadit, & quæ habebat hanc eandem moralē impossibilitatem antequam caderet.

122 Et his modis longè meliùs saluantur quæ habemus in scripturà, & concilijs de hac necessitate vagà peccandi, quàm si eam referamus ad scientiam conditionatam liberam, quam habet Deus, dependenter à quà Deus id euenturum reuelauerit: siquidem hæc scientia cōditionata est in potestate operantis vt sit, vel non sit in Deo; aliòquin non esset libera, qualem ponunt isti authores, sed necessaria: at non est in potestate operantis, vt sint factæ, vel non factæ

factæ istæ reuelationes, & definitiones; operamur enim dependenter à fide illas omnes præsupponente, Ergò obiectum harum reuelationum, ac definitionum non dependet ab obiecto scientiæ liberæ conditionatæ.

123 Colligitur quoque ex dictis non esse in Deo necessitatem moralem simpliciter, quippe qui non experitur difficultatem circa vllum obiectum possibilem vehementiâ voluptatis inclinantis, aut molestiâ retrahentis; Item non subest gubernationi alicuius causæ superioris, à quâ cogitationes accipiat. Datur tamen in illo necessitas moralis diminuta, quam explicauimus, eaque tum antecedens eius libertatem quatenus cum possit creare tantum finita

ta

ta collectiuè ex infinitis disiun-
ctiuè, vtique omnis determina-
ta collectio esset per se impro-
babilissima, tùm consequens ad
aliqua eius decreta, per quæ
statuit producere vnum vagè
ex aliquà amplissimà collectio-
ne. Sed de hac re iterùm latius
initio *libri de Incarnatione*.

C A P V T VII.

*De distinctione gratiæ sufficientis
ab efficaci.*

124 **H**anc distinctionē
cognouit Aug. nō
solūm in naturā integrā, sed
etiam in lapsā, idque in ipsis li-
bris contra Pelagium; nam de
naturā, & gratiā, cap. 99. ait
eò ipsò quòd firmissimè creditur
Deum